

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5036

Auteur(s) : Eugène III [pape]

Bénéficiaire(s) : Albolde, Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1147, 7 juin

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Eugène [III] prend l'abbaye Notre-Dame de la Trappe sous sa protection et confirme les biens et les droits de ladite abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Du Bois Louis, *Histoire civile, religieuse et littéraire de l'abbaye de La Trappe*, et des autres monastères de la même observance..., Paris, Raynal, 1824, Pièces justificatives, n° III, p. 300-302.
- b. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, Appendice, n° II, p. 580-582.
- c. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 49, p. 119-121.

Indications

Gaillardin Casimir, *Les Trappistes ou l'ordre de Citeaux au XIXe siècle*, Histoire de la Trappe depuis sa fondation jusqu'à nos jours, Paris, L. Maisson, 1853, 2 vol., t. 1, p. 14. Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2e éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 9173, t. 2, p. 50.

Texte établi d'après c

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Albodo abbati monasterii sanctae Mariae de Domo Dei eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Apostolici moderaminis clementie conuenit religiosos diligere et eorum loca pia protectione munire. Dignum namque et honestati conueniens esse cognoscitur, ut, qui ad ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas et a prauorum hominum nequitia tueamur et apostolice sedis munimine foueamus. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et praefatum beatae Mariae monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona in praesentiarum iuste et canonice possidetis aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis praestante domino poteritis adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. Sane laborum uestrorum, quos

propriis manibus uel sumptibus colitis, siue de nutrimentis uestrorum animalium nullus a uobis decimas exigere praesumat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praedictum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate et diocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisue persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertioe commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine domini nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Eugenius catholicae ecclesiae episcopus.

Ego Albericus Ostiensis episcopus.

Ego Imarus Tusculanus episcopus.

Ego Guido presb. card. tit. sancti Chrisogoni.

Ego Oddo diac. card. sancti Georgii ad uelum aureum.

Dat. Parisiis per manum domini Guidonis sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis et cancellarii septimo idus iunii, indictione decima, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo quadragesimo septimo, pontificatus uero domini Eugenii papae tertii anno tertio.